

dentes ab Ecclesiastica sepultura arcendos voluit, sub pœna suspensionis, Clericis eos ad præfata Ecclesiastica Officia admittentibus imposita. Synodus Lugdunensis I. *Can. XXV.* relato in *Cap. 2. hoc Tit. in VI.* nedum Lateranensis Constitutionem confirmavit, sed et Ecclesiastica sepultura privandos voluit etiam eos, qui restitutionem fieri testamento mandaverint, dummodo restitutio vel reipsa, vel idonea cautione præstita, peracta non fuerit. Quas quidem utriusque Concilii Constitutiones expressis verbis confirmavit Syn. Penna-fidel. an. 1302. *Cap. IX.* et Tarracon. an. 1331. in *Collect. Lib. V. Tit. X. cap. un.* Synodus Salmant. *Cap. XIV.* excommunicationem latæ sententiæ in ipsos contorquet: eosque jubet publice excommunicatos denuntiari. Synod. Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 17.* usurarios infames haberi; id quod decernitur etiam *Cap. 11. de Excessib. Prælat.* et pœnis à jure statutis puniendos quoque voluit; quin et declarat, contractus usurarios esse, *quando ratione tantum temporis res pluris quam valeat, venditur, vel quando anticipata pecunia minoris justo aliquid emitur.* Jure civili contractus usurarii sunt reipsa nulli: *Leg. XXXI. et XL. Tit. XI. Partit. V. et Leg. IV. Tit. VI. Lib. VIII. Nov. Recop.* Hæredes nequeunt in bona per usuras acquisita succedere, sed ipsa vel propriis dominis, si fieri possit, restitui, vel in defuncti suffragiis impendi jubentur: *Leg. II. Tit. XV. Partit. VI.* Pœnæ in ipsos inflictæ sunt infamia: *Leg. IV. Tit. VI. Partit. VII. et Leg. V. Tit. VI. Lib. VIII. Nov. Recop.* In semel perpetrata usura mutuatæ pecuniæ amissione et dupli quam lucrari sperabant solutione multantur; in iterata dimidiæ partis bonorum; et in tertio repetita cunctorum bonorum amissione puniuntur: *indic. Leg. IV. Nov. Recop. (*)*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS.

I. Disciplina veteris Ecclesiæ in puniendis graviorum criminum reis in eo potissimum erat, ut à societate, et communione Ecclesiæ abjicerentur, nec ipsis liceret in posterum cum ceteris fidelibus publicæ Ecclesiæ Liturgiæ adesse; atque adeo aliquando prohibebantur etiam lectioni Scripturarum, aut Episcopi sermoni interesse; quod alioquin ipsis gentilibus, ac hæreticis permissum erat. Hanc disciplinam Christus ipse, Apostolique Ecclesiam adocuerunt: *Matth. XVIII. v. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus.* Apost. I. ad Corinth. V. v. 11. *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Eadem habet ad *Galat. I. v. 8.* et ad *Titum III. v. 10.*

II. Hæc potestas, qua Christus Dominus suam Ecclesiam munitam voluit, spiritualis fuisse videtur, nimirum spiritualibus pœnis in facinorosos homines animadvertendi. Verum modicam quandam, ac salutarem corporis castigationem ipsummet Christum Dominum insinuasse Evangelium non obscure prodit, dum *Matth. XXI. v. 12.* et *Joann. II. v. 15.* describitur facta de funiculis flagello sua ipsius manu omnes ementes, et vendentes è templo ejecisse.

III. Et sane jam inde à primis sæculis certis pœnis usa est Ecclesia, quæ licet eo intuitu, quo peccatorum respicientium, et conversionem spectabant, spirituales dici possent, revera tamen corporales erant, vel potius aliquid corporale admixtum habebant. Ejusmodi erant antiquitus jejunia, eleemosynæ, detrusio in monasterium, aliaque hujusmodi. At potissimum notanda videtur pœna fusti-

gationis, sive flagellationis, qua dominorum, magistrorum, ac potius parentum instar Episcopi suos Clericos, Abbates suos Monachos, quos delinquentes invenissent, coercébant. Meminit hujusce pœnæ S. Augustinus Ep. ad Marcell. Comit. *Can. 1. Caus. 23. Q. V. Confessionem... virgarum verberibus eruiisti: qui modus coercionis, et a magistris artium liberalium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhibi.* (**) Id perspicue indicant Syn. Narbon. an. 589. *Can. XIII.* decernens, *Subdiaconos superbos verbis corripiendos, et si non emendaverint, stipendio privandos; reliquos Clericos flagris coercendos;* et Tolet. XI. *Can. VIII.* quo sancitur, ut Episcopus, Presbyter, aut Diaconus pro Baptismo, Chrismate, aut Ordinatione munera exigens, excommunicatione plectatur; *Subdiaconus vero, vel Clericus et competenti verberere, et debita excommunicatione feriat.* Hinc colligas necesse est, flagellationis pœnæ Clericos dumtaxat inferiores subjectos fuisse. (*)

IV. Profectò constat pœnarum, quibus hodiè Ecclesiastica Tribunalia utuntur, non levia vel ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis vestigia præcessisse. Ac 1. eleemosynarum largitionem quod spectat, certe nihil antiquis Patribus adeo familiare fuit, quam eam pœnitentibus injungere. Unde S. Ambrosius Serm. de Elia: *Peccatis tuis venundatus es? redime te pecunia tua: vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia.* Huic eleemosynarum largitioni successisse videtur pœna pecuniaria, cujus frequens injicitur mentio in Decretalibus, præsertim Alexandri III. et Innocentii III. Qua de re jure Decretalium Judices Ecclesiastici non ventantur pœnas pecuniarias imponere; (**) maximè quum pœna Judicis arbitrio infligenda est, et in delictis in quibus à Jure determinata non est: *Collect. Tarracon. an. 1591. Lib. V. Tit. XV. cap. 2.* (*) Porrò uti Confessariis in Tribunali Pœnitentiæ summopere cavendum est, *ne exigant a pœnitentibus pecuniam, aliudve temporale lucrum, sive ob pœnitentiam pro peccatis perferendam, sive quod res sit restitutioni obligata... nec omnino quidquam quovis quaesito colore.* I. Syn. Prov. Neap. *Cap. 16.* ita quoque Episcopus, ac Judices Ecclesiastici in pœnis pecuniariis imponendis, omnem avaritiæ, turpisque lucri suspicionem à se avertant oportet, ne salubre remedium ad quæstum pecuniæ convertere videantur: *Cap. 13. §. 2. de offic. Ordin. Cap. 3. de Pœnis.* Quam suspicionem profectò non vitabunt, ubi nimis facile, ac crebro ejusmodi pœnas infligant. Certe ubi crimen spiritualem pœnam requirit, pœna pecuniaria abstinendum est: *Glossa ad indic. Cap. 3.* (**) Ad rem *Collect. Tarracon. eod. Cap. 2. Prohibemus remissiones pro delictis enormibus, præsertim parte non satisfacta, et spirituali pœnitentia non peracta, de pœna infligenda fieri, ne ubi exaggeranda est, ibi fallaci misericordia aboleatur. In levibus vero criminibus... multæ pecuniariæ locus sit.* (*) Meritò igitur Concil. Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 3.* decernit, ut Episcopi possint quidem etiam in causis civilibus per nullas pecuniarias procedere; at statim subnectit: *quæ locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exacta fuerint, adsignentur.* (**) Eadem habent Concilia nostra Hispal. an. 1512 *Cap. LXII.* Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 20.* et Tolet. ejusd. an. *Act. II. cap. 14.* (*)

V. Haud raro quoque in antiquis Canonibus mentio occurrit detrusio in monasterium pœnitentibus, ac præsertim Clericis, nonnunquam impositæ, ut ibi hominum oculis subducti facilius, et salutare pœnitentiæ exercitationes subire, et peccatorum occasiones vitare possent. (**) Synod. Hispal. II. *Can. III.* sic decernit: *Desertorem Clericum Cingulo honoris, atque Ordinis exitum, aliquo tempore in Monasterio deligari convenit, nam non poterit in talibus prævagationsi-*

aboleri licentia, nisi fuerit in eis propter correptionem disciplinae subsequuta censura. Et quæ sequuta sunt Concilia eandem quoque pœnam infligendam frequenter constituunt præcipue Tolet. an. 597. *Can. I.* quæ statuit, ut Clericus de impudicitia convictus, *sit tali claustro conceptus, ut ceteros suo exemplo corrigat, et ille ex pœnitentia reviviscat; quia ab hanc caussam* (ait præf. Syn. Narbon. *Cap. VI. dirigitur* Clericus in Manasterium, ut emendetur. (*) Eiusmodi pœnæ meminit haud semel S. Gregorius P. in suis Epistolis, ac etiam posterioribus sæculis Alexander III. et Innocentius III. in suis Decretalibus: *Cap. 6. §. fin. de Homicid. volunt.* et *Cap. 35. de Sent. Excommun.* Quum verò quibusdam facinorosis custodiendis Clericis Monasterium locus satis tutus non videretur, hinc *ibidem* Innocentius III. Prælati permisit, ut hujusmodi Clericos, *postquam fuerint de crimine canonice condemnati, sub arcta custodia* detineant. Atque hinc paulatim pœna carceris in Curiis Ecclesiasticis recepta est.

VI. In usu etiam antiquitas videtur fuisse pœna exilii, sive recessus à propria patria, (**) cujus primo meminit præf. Syn. Hispal. II. *Can. VI.* quæ Flagitanum Cordubensem Presbyterum exilio damnandum inducit; et cujus nonnulla in Conciliis sæculo VI. celebratis habemus exempla præsertim in Bracar. III. *Can. VII.* et Tolet. XVI. quæ *Can. XII.* præter alias, exilii quoque pœna in Sisbertum animadvertit; (*) quæ sane veræ relegationis species non erat, sed potius salutaris medicina, nimirum ut pœnitens procul à patria tum populo offensionem non esset, tum vel maximè ac peccandi occasionibus remotus facilius in pœnitentia perduraret. S. Gregorius *Lib. IX. Ep. 66.* de Hilario quodam Joannis Diaconi criminatore debita pœna multando, sic præcipit *Jubemus eundem prius Subdiaconatus (quo indignus fungitur privari officio, et verberibus publice castigatum in exilium deportari.* Profectò hic S. Gregorium vel de exilio sic improprie dicto loqui, vel de veri nominis relegatione intelligendum quidem, at quæ, post depositiones sententiam legitime ab Episcopo perlatam, à Potestate sæculari infligatur, observant eruditi operum S. Gregorii commentatores. Profectò exilii sic propriè dicti pœnam infligere, non nisi Regiæ Potestati convenire, satis innuere videtur Cælestinus III. in *Cap. 10. de Judiciis: Quum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, . . . per Sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur.* Idem quoque indicari videtur in *Cap. 2. de Cleric. excomm. deposit. vel interdic. minist. Quod si aliquis ista omnia contemserit, et Episcopus minime emendare potuerit, Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur.*

VII. Fustigatio, sive flagellatio, quam antiquitus in Episcopalibus judiciis etiam adhibitum fuisse modo vidimus, jure quoque Decretalium probata videtur: *Cap. 4. de Raptoribus;* ubi tamen Alexander III. monet ejusmodi pœnam *ea moderatione* adhibendam, *quod flagella in vindictam sanguinis transire minime videantur.* Et sane non nisi quando veluti paternam correptionem in ea veteres agnoscebant. Unde Canones sic dicti Apostolici *Can. XXVI.* decernunt: *Episcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, qui vel fideles delinquentes, vel infideles injuriam inferentes percutit, et terrorem ipsis per hujusmodi vult inculcare, depnari præcipimus.* Eadem habet S. Gregorius M. *Lib. II. Ep. 52. (**)* et Synod. Bracar. III. *Can. VII.* animadvertens quippe nonnullos Episcopos *tantis cadibus* in Clericos *effervescere, quantis poterant latrocinantium promereri persone,* constituit, *ut exceptis gravioribus culpis, nullis debeant verberibus subjacere.* Eadem habet Tolet. XI. *Can. VII. (*)*

VIII. Verùm ejusmodi fustigationis pœna in desuetudinem abiisse videtur; sed

quum Ecclesia abhorreat à sanguine, si ita grave fuerit Clerici alicujus crimen, quod mortem, vel mutilationem membrorum debeat sustinere, transmittenda hujusmodi pœna est in Potestatem regiam, uti in modo *indic. Cap. 4.* præscribit Alexander III.

IX. Antequam hinc ulterius progrediamur de hactenus explicatis Ecclesiasticis pœnis paucis hic adnotare juvat: nimirum antiquitus in Ecclesia, non nisi tanquam salutaria medicamina ad peccatorum correptionem fuisse adhibita, et ut Clerici delinquentes ad bonam frugem redirent; præsertim ubi et delinquentis indoles, et criminis conditio, aliæque *circumstantiæ* id postularent: scilicet quam satius videretur, ac salubrius pœnis pecuniariis, aliisve mitibus corporis adflictivis castigationibus detectis malis mederi, quam censuris, aliisve pœnis spiritualibus: ab quibus infligendis aliquando veteres Episcopi abstinebant, ne ipsæ sua frequentia contemptui exponerentur. At secutis temporibus, nova judiciaria methodo è foro laicali in Ecclesiasticum invecta, eadem illæ pœnæ ad publicam quoque criminum vindictam imponi cœperunt.

X. Igitur jure etiam Decretalium, si gravissimum fuerit Clerici alicujus delictum pœna sanguinis, aut capitali supplicio multandum, brachio sæculari tradendus est: quod non modo Alexander III. in nuper indicata Decretali præscribit, verum et Cælestinus III. in *Cap. 10. de Judiciis.*

XI. Jam verò in veteri etiam Ecclesia Catholicos Episcopos ad facinorosos quosdam, ac censuras Ecclesiasticas contemnentes Clericos comprimendos brachium sæculare, sive magistratus sæcularis auxilium advocare consuevisse, res est tum exemplis, tum etiam sanctis Canonibus testatissima. Sic Paulus Samosatensis, quum ex Concilii Antiocheni sententia de Episcopatu depositus, inde ejici non posset, negotium ad Aurelianum Imperatorem delatum est, qui, licet ethnicus rectissimam tamen dedit sententiam, nimirum, ut is Samosatensis agnosceretur Episcopus, ad quem Italici christianæ religionis Antistites, et R. Episcopus scriberent. *Hoc modo,* inquit Eusebius *Lib. VII. cap. 30. Paulus cum summo dedecore per sæcularem potestatem ab Ecclesia exturbatus est.* Tam deinceps Arius, Nestorius, aliique hæretici Imperiali Edicto, Episcopis id petentibus, in exilium missi sunt; et quidem ne fidelibus nocerent.

XII. Plures etiam in eandem rem Canones sancti sunt: Concilium Antiochenum *Can. V.* decernit, *ut Clericus legitime a suo Episcopo depositus, si perseverat perturbare, et Ecclesiam evertere, is per externam potentiam, ut seditiosus, castigetur.* Idem prorsus præscribit *Cod. Afric. Can. XXXVIII. LIII. et LXVII. Ibid. Can. XCIII.* Synodi Decreto certi quidam Episcopi imperatores Arcadium, et Honorium adire jubentur, eorundem auxilium adversus Donatarum furorem, ac violentias imploraturi: quod *non insolitum, neque a sacris Scripturis alienum* adferunt.

XIII. Antiquitus Depositionis tantummodo pœna in Clericum brachio sæculari tradendum ab Episcopo erat proferenda: at postea ad aliorum terrorem ritus quidam, ac cæremoniæ adjunctæ; unde inductum discrimen inter Depositionem Verbaalem, et Realem.

ARTICULUS I.

DE DEPOSITIONE.

XIV. Depositio verbalis sic propriè dicta *Depositio* ea est, per quam Canonica sententia Clerico omnes publicæ Ecclesiasticæ functiones perpétuo interdican-

tur, quas ordinis prærogativa exercere posset; tum et omni Ecclesiastica jurisdictione, beneficiis, honoribus prorsus exuitur, ac laicorum censui ad censetur. (**). Hujusmodi pœnam ab ipsa Syn. Illiberit. inflictam videmus Can. XXXIII. *Placuit*, ut Clericus continentiam non servans, *ab honore Clericatus exterminetur*; et à Tolet. I. *Can. V.* quæ sanxit, ut Clericus ad quotidianum Ecclesiæ Officium non veniens, *Clericus non habeatur.* (*)

XV. Hæc eadem Depositio, si ritus quidam, ac cæremoniæ, quibus Clericus depositus publicè ornatu clericali exspoliatur, comitentur, proprio vocabulo *Degradatio* dicitur, cujus origo recte adscribi posse videtur Concilio Toletano IV. ubi *Can. XXVIII.* alias *XXVII.* sic decernitur: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si a grado suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperitur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est orarium, baculum, et annullam; si presbyter orarium, et planetam; si Diaconus orarium, et albam &c.*

XVI. Antiquitus vocabula Depositionis, et Degradationis videntur promiscua notione fuisse usurpata; ac ritus, qui postea alicubi adhiberi cœperunt, fortasse pœnæ *essentiam* non spectabant. At jure Decretalium haud parum discriminis inter utramque interjectum est. Clericus enim *simpliciter* depositus privilegia Canonis, et Fori non amittit, quibus tamen omninò privatur Clericus degradatus: *Glosa in Caput 2. de Pœnis in VI.*

XVII. Cæremonia, qua degradatio peragitur, descripta habetur in Pontificali R. Nimirum Clericus degradandus omnibus ordinis sui ornamentis indutus, ac manu Missale, si Episcopus, vel Presbyter, aut Breviarium, si Diaconus, vel Subdiaconus, tenens ad Episcopum adducitur, qui singula ornamenta ipsi sigillatim eripit, incipiens ab eo, quod in ordinatione postremum est, et desinens in eo, quod est primum: tum jubet, caput omne abradi ad delendam coronam clericalem, ne ullum supersit clericatus vestigium: inter hæc ad publicum incutiendum terrorem verba ab Episcopo pronunciantur eis contraria, quæ inordinatione adhibentur: *Cap. 2. de Pœnis in VI.* ubi quoque Bonifacius VIII. scribit: *Solemnia celestis militiæ militis, id est clerici, degradatio, quum ad eam fuerit procedendum, fiet, ut exautorizatio ejus, qui militiæ deservit armata, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus castris rejicitur, privatus consortio, et privilegio militari.* Novell. LXXXIII. in præf. §. 2. Leg. II. §. 2. Dig. de His, qui notantur infamia.

XVIII. Solemnis hæc degradatio peragitur, quum reus Judici sæculari tradendus est, qui semper adesse solet, ut degradatum privilegiis clericalibus jam exutum in suum recipiat forum. Quia verò Ecclesia abhorret à sanguine, hinc Episcopus pro eo statim intercedit, seu deprecatur, ut citra sanguinis pœnam Judex sententiam dicat: *Cap. 27. de Verbor. Signif.* Non vetatur quidem Judex capitali sententia illum damnare; at si pœnam remittere malit, hominem claustrum ad agendam pœnitentiam tradere debet: *ibid.*

XIX. Antiquitus quoque ubi clericus quis brachio sæculari tradendus esset, prius ab Episcopo erat deponendus; quod non Canones modo, verum et Imperiales leges præscribebant. Et sane Justinianus Imperator *indic. Novell. LXXXIII.* de Clerico, quem Præses provinciæ pœna judicaverit dignum, sic decernit: *Prius hunc spoliari a Deo amabili Episcopo Sacerdotali dignitate, et ita sub legum fieri manu.*

XX. Tot Jure Decretalium nunc ad degradationem requiruntur Episcopi, quot olim ad depositionem requisiti: nimirum 12. ad deponendum Episcopum, 6.

ad deponendum Presbyterum; si verò Diaconus deponendus esset, sat habebantur tres Episcopi; Clericos inferiores solus proprius Episcopus degradat: Concil. Carthag. II. *Can. X.* relat. à Gratiano *in Can. VI. Caus. 15. Quest. VII. indic. Cap. 2. de Pœnis in VI.*

XXI. Quum verò hic Episcoporum numerus nonnunquam difficilè haberi posset, præsertim in iis regionibus, ubi non adeo frequentes sunt Episcopatus; hinc in Synodo Tridentina *Sess. XIII. Ref. Cap. 4.* statutum est, ut Episcopus ad Presbyteri, alteriusve Clerici degradationem loco Episcoporum totidem Abbates usum mitræ, et baculi habentes advocare possit, aliasve personas in Ecclesiastica dignitate constitutas, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

XXII. Quod hic Synodus Tridentina juris scientiam requirat, antiqui Ecclesiastici juris umbra quædam est. Antiquitus enim Episcopi non tantum ad solemnitatem, meramque exsequendam cæremoniam advocabantur, sed etiam, ac præcipuè ad causæ discussionem, uti patet ex modo *indic. Can. X.* Concil. Carthag. II. *Si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, et fuerit nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, a 12. Episcopis audiatur, et Presbyter a 6. Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, et Diaconus a tribus.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS GENERATIM.

I. Quæsitus Innocentius III. quid sibi velit Censura Ecclesiastica, quæ in Rescriptis Apostolicis adponi solet, respondet, *quod per eam non solum Interdicti, sed Suspensionis, et Excommunicationis sententia valeat intelligi:* *Cap. 20. de Verbor. Signif.* Profecò videtur hic Innocentius III. omne Censurarum genus ad Excommunicationem, Suspensionem, et Interdictum deduxisse: quod alias veteres adeo distinctè non præstitisse indè probat Morinus *De Sacr. Pœnit. Lib. VI. cap. 25.* quod Burchardus Wormatiensis, Ivo Carnotensis, Hugo Victorinus, Lombardus, Gratianus, aliique veteres Canonistarum, ac Theologorum Coryphæi, qui ad duodecimum usque sæculum florere, nihil efferant ejusmodi in suis Scriptis: *Unde enim pergit Morinus apud eos colligitur esse tres tantum Censuras. . . . Imo ubi apud eos ipsum Censuræ nomen sic acceptum, et a cæteris Pœnis, et Impedimentis Ecclesiasticis distinctum.* Morino nempe videtur nonnisi jure Decretalium primum inductum discrimen inter Censuras, Pœnas, et Impedimenta Canonica; ita ut Irregularitas sit tantummodo Impedimentum Canonicum, non Censura; Depositio, et Degradatio non sint, nisi pœnæ Canonicae; ac demum Excommunicatio, Suspendio, et Interdictum sint Censuræ sic propriè dictæ.

II. Ne quid implexum sit in re adeò vulgari, ea Censuræ definitio constituenda hic est, quæ nonnisi his tribus Censurarum speciebus conveniat, reliquas canonicas pœnas excludat. Hac notione ita vulgò à Canonistis definiti solet, scilicet, ut sit *Pœna Ecclesiastica spiritualis, et medicinalis, privans usu quorundam spiritualium honorum, ab Ecclesiastica potestate ita imposita, ut ab eadem semper auferri, absolvi que possit.* In hac sanè definitione elucet, quidnam discriminis inter censuram, et pœnam canonicam intercedat: hæc enim perpetua est, et in atrocioris cujusdam criminis vindictam absque ulla spe remissionis imponitur: at

contra censura, tanquam medicina ad salutem adhibetur, ut ea implicitus respiscat, ac satis pro delicto faciens ab ea absolvatur.

III. Jus ferendi Censuras potestati clavium adnexum esse, semper in Ecclesia creditum est. Quum autem antiquitus, ut alibi jam observavimus, rarè discrimen agnitionis fuerit inter forum internum, sive Pœnitentiale, et externum, sive Contentiosum; hinc jus ferendi censuras ita potestati clavium addictum habebatur, ut ordinariè intuitu Fori Pœnitentialis illæ infligerentur. Quamobrem *ibid.* Morinus: *Unde apud veteres, inquit, colligitur Censuras ad forum externum pertinere, non ad internum, sive Sacramentum Pœnitentiæ?* At postea latius inducto discrimine inter forum externum, et internum, distingui etiam cœpit inter potestatem Ordinis, et Jurisdictionis. Præterea quum receptum esset, Censuras esse veluti mediâ quædam coactiva Ecclesiasticæ Potestatis, quæ propter contumaciam, et ad coercendos fideles rebelles infligantur, hinc potestas ferendi censuras ad eos tantummodo restricta est, qui jurisdictione ordinaria in foro exteriori sunt præditi.

IV. Ad ferendas igitur Censuras satis non est Potestas remittendi, et retinendi peccata in Tribunali Pœnitentiæ, sed requiritur, atque adeo satis est potestas jurisdictionis, etiam à potestate ordinis sejuncta, quam iudices Ecclesiastici exercent, licet non sint Sacerdotes, modo tamen sint prima clericali tonsura saltem initiati, atque iudicis munere legitimè fungantur.

V. Censuris obstringi tantummodo possunt homines baptizati, viatores, rationis compotes, ac potestati eas infligentis subditi. Unde censuris plecti nequeunt 1. Pagani, judæi, ac etiam Catechumeni, quum nondum per baptismum in Ecclesiam ingressi sint. *Quid enim, inquit Apostolus I. ad Corinth. V. v. 12. mihi de iis, qui foris sunt judicare?* In Hæreticos verò, Schismaticos, et Apostatas rectè Ecclesia censuris animadvertit, ut ad fidem, ac obedientiam, à qua turpissimè defecerunt, redire inde incitentur.

VI. Neque 2. Censuris directè adfici possunt mortui, quippè qui non sunt viatores. Unde Christus Dominus dixit: *Quæcumque adligaveritis super terram, et non sub terra, ostendens, quod nos de mortuis sententiam ferre non possumus:* Leo M. Epist. XC. cap. 7. Potest tamen Ecclesia mortuum anathematizare. si ve exsecrari, atque adeo etiam indirectè excommunicare, dum fidelibus interdicit illum Ecclesiastica donare sepultura, aut pro ipso preces, suffragia, aut sacrificia offerre, cujus disciplinæ frequentia occurrunt exempla in veteri Ecclesiastica Historia. Sic in Cod. Afric. *Can. LXXXI.* adversus Episcopum, qui hæreticos, vel paganos hæredes suos constituere ausus fuerit, in hunc modum decernitur: *Post mortem anathema ei dicatur, utque ejus nomen inter Dei Sacerdotes nullo modo recitetur.* (**). Et Syn. Brac. I. Cap. XVI. *alias Can. XXXIII. Placuit, ut hi, qui sibi ipsis, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in oblatione commemoratio fiat.* . . . *Similiter et de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur.* (*)

VII. Neque 3. Mentecapti, Furiosi, Infantes Censuris illigari possunt; quum enim usu rationis careant, ipsis peccata non imputantur: unde nihil ipsis causæ est, cur censuris plectantur.

VIII. Nemo 4. censura multari potest, qui subditus ei non sit, à quo illa inferatur. Jurisdictionem enim requirit, quæ in subditos dumtaxat legitimè exercetur. *Cap. 16. de Major. et obed. Cap. 21. de Sent. Excomm.*

ARTICULUS I.

DE ABSOLUTIONE A CENSURIS.

IX. Censura per absolutionem aufertur, quæ non nisi illam demisse potenti impartienda est, ne Ecclesiastica potestas in contemptum habeat. Ejusmodi autem absolutio potest non modo *pure*, ut ajunt, impendi, sed etiam *conditionate*: veluti *Absolve te, quum primum satisfeceris*: haud secus ac Censura ipsa conditionate infligi potest: *Cap. 40. de Adpellationibus.* Est etiam absolutio, quam vocant *ad cautelam*, quæ scilicet à Confessariis absolutioni sacramentali præmitti solet, quæque in Bullis, ac Litteris Pontificiis de stylo inseritur. At de hoc Capite ex professo Theologi Morales.

X. A Censura ab homine per sententiam particularem lata ille absolvit, qui eam infixit: (**). Synod. Illiberit. *Can. LIII. Placuit cunctis, ut ab eo Episcopo quis recipiat communionem, a quo absentis in crimine aliquo fuerit.* (*) Et quidem Dominus par jus et solvendi esse voluit, et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit: *Cap. LI. de Pœnit. Dist. 1.* vel ejus Successor: *Can. III. V. XL. Caus. 11. Quæst. III.* aut ejus Delegatus: *Cap. 20. de Offic. Ordin. aut denique Superior, uti Metropolita: (**). Syn. Tolet XIII. Can. XII. (*)* cui tamen servanda sunt, quæ Innocentius III. præscribit in *Cap. 8. ibid.* scilicet, ut neminem, qui apud ipsum de injuste ab Episcopo lata excommunicatione conqueratur, absolvat, nisi legitime, ac plene ipsi constiterit Episcopalis censuræ iniquitas: alioquin eum ad Episcopum absolvendum remittat, nisi periculum in mora esse videatur, vel Suffraganeus absolutionem satisfacere parato impendere velit. In quo sane veteris disciplinæ vestigia adparent, ex cujus præscripto qui se à proprio Episcopo inique censura innodatam crederet, in Concilio Provinciali se sistere debebat, suam querimoniam expositurus, ut ibi de Censuræ justitia, vel iniquitate iudicium ferri posset.

XI. Quod verò attinet ad Censuras latas à jure, vel ab homine per sententiam generalem, iis exceptis, quas sibi earundem auctor reservavit, ab ipsis poterit quis absolvi vel ab Episcopo, vel à proprio Sacerdote: *Cap. 29. de Sent. Excomm.* Nomine proprii Sacerdotis venire Parochum, vel etiam quemcumque Sacerdotem ad excipiendas confessiones legitime adprobatum, quippè qui in hoc adimplendo munere Parochi vices subeat, docet Suarezius de Censuris *Disput. VII. Sect. 4. num. 9.* alique.

CAPUT DECIMUM NONUS.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS SPECIATIM.

I. Ac primo ut adpareat, quæ fuerit antiquitus Excommunicationis species, præ oculis omnino habenda vetus illa communionis ratio, qua in unum corpus Fideles coalescebant. Baptismo nimirum jus cuique quæsitum erat ad universa bonæ Ecclesiæ dispensationi commissa. Quot ergo bona Ecclesiæ, tot fidelium jura. Unde jus ad Eucharistiam, jus ad oblationem, jus ad preces, jus ad verbum Dei, jus ad conventum, jus ad osculum sanctum, ad convivium, ad colloquium deniquè infimum illum communionis gradum, quos quique fruebantur.